

V 9  
1803





h. 19, 3 QR. XIX, 3.

Vg  
1003

# RESPONSIO

QVAM NOS DEI GRATIA  
IOHANNES FRIDERICVS DVX  
SAXONIAE ELECTOR, ET PHILIPPVS, LAND-  
gravius Hassiae, re deliberata cum reliquis nobiscum  
coniunctis in causa Religionis, dedimus, ad  
instructionem quae allata est Smal-  
caldiam, nomine Gene-  
rosorum

Comitum, Domini Theoderici Comitis de  
Manderschit, & Domini Guielmi Co-  
mitis Nouae Aquilae.

Anno Domini.  
M. D. XL.

d. Vnohff. Vnsidm  
G. R. d. d.



RESPO

OVAN NOS DEI GRATIA

IOHANNES BAPTISTA

in

Comitatu Domini

Abbatibus & Domini

in



Anno Domini  
M. D. XL.

*[Faint handwritten text]*



RESPONSIO QVAM NOS DEI GRA-  
TIA, IOHANNES FRIDERICVS DVX SAX-  
oniae Elector, & Philippus, Landgravius Hassiae, re-  
deliberata cum reliquis nobiscum coniunctis in  
causa Religionis, dedimus ad instructio-  
nem quæ allata est Smalkaldiam,  
nomine Generosorū  
Comitum, Domini Theoderici Comitis de  
Manderschit, & Domini Guielmi Comi-  
tis Noue Aquilæ,



CHRISTIMAMVS, ET IL-  
lustrem Dominum de Granual &  
prædictos Comites generosos, bo-  
no studio has deliberationes de pa-  
ce, quas huc attulit Doctor Syber-  
tus a Louenburg, nomine Comi-  
tum, & postea Comes Nouæ Aquilæ coram nobis ex-  
posuit, instituisse. Quare eis amanter agimus grati-  
as, & publico nomine & nostro, vere enim & ex ani-  
mo hoc adfirmamus, nobis nullam rem humanam op-  
tatiorem esse, beneuolentia inuictissimi Imperatoris  
Augusti domini nostri clementissimi, & pace publica  
Germaniæ. In primis autem agimus gratias Illustri do-  
mino de Granuall, quod ostendit se & hæctenus fuisse  
hortatorem, ne de his negotijs decertaretur armis, &  
suam authoritatem libenter conferre ad consilia reti-  
nendæ pacis. Hanc voluntatem ipsius egregiam, &  
dignam eo viro, qui maximarum rerum consilijs in  
gubernatione orbis terrarum interest, non dubitamus  
Deo gratam esse, quem quidem precamur, vt confir-  
met & gubernet hunc animum ad illustrandam glori-  
am Christi, & ad communem tranquillitatem,

A ij

Roga

Rogamus etiam quantum possumus ipsum Dominum de Granuall, ut in hanc curam, cogitationemque incumbat, ne Ecclesiae violentis consilijs dissipentur potius quam iuventur. Quae gloria magno viro magis expetenda est, quam ut civiles dissensiones sine civili sanguine componat? Illud autem initio petimus, ne existimet nos delectari his discordijs Ecclesiasticis, aut cupiditate aliqua iniusta dissentire ab alijs gentibus, & a tot seculorum consuetudine. Non accersimus nobis odia, labores, sumptus, pericula tot iam annos, tantum errore & morositate aliqua. Sed postquam inciderunt dissensiones in Ecclesia de doctrina, ut sepe alias accidit, non est abiicienda professio veritatis, nec adiuuanda iniusta crudelitas, quae in homines pios & innocentes passim exercetur. Has habemus iustas, graues, veras & magnas causas dissentendi a ceteris, ut illustris dominus de Granuall, pro sua sapientia ipse iudicare potest, Constat enim, multos magnos & non dissimulandos abusus, ab aduersarijs defendi, quadam noua asperitate, quae non decet Ecclesiam, ut monet Psalmus, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, In die mala liberabit eum Dominus.

Et quoniam intelligimus, Inuictissimo Imperatori instillari quasdam suspensiones aduersus nos, ut nos non de gloria Dei, de emendatione Ecclesiarum, de salute animarum contendere putet, sed quaerere vel opes Ecclesiasticas, vel alia, magnopere oramus, ut illustris dominus de Granuall, Inuictissimo Imperatori Domino nostro clementissimo, nos purget & excuset. Scimus tales fabellas ferri in populo a maleuolis, ad deformandam causam quam agimus. Sed tamen in consilio summi Principis dominetur veritas, non sit locus calumnijs.

lumnijs. Cum enim aduersarij diffisi suæ causæ, non possint doctrinam, quæ in Ecclesijs nostris traditur, veris argumentis labefactare, decurrunt ad has querelas, clamitant occupari facultates Monasteriorum, aut aliarum Ecclesiarum. Quam indignum est autem flagitare eos opum defensionem, non flagitare emendationem in Ecclesia maximorum vitiorum, quæ & ipsi agnoscunt. Prima enim cura debebat esse doctrinæ diuinitus traditæ, At istis prima cura est Imperiorum, opum, voluptatum, Non dubium est autem, satis per spectum esse ipsis aduersarijs, nos non litigare de opibus, nec appetere Ecclesiasticas facultates. Sed hic pretextus fingitur, vt Regum animos incendat, ad delendam doctrinam, & ad explendam crudelitatem. Constat enim neminem ex nobis vllam partem alieni territorij abstulisse cuiq̃, aut auferre conatum esse. Nemo ex nobis in Germania ademit vlli Episcopo partem aliquam ditionis. Iurisdictionem Ecclesiasticam postq̃ desijt esse questuosa, ipsi abiecerunt, ac ne possunt quidem rite exercere. Collegia Episcopalia fruuntur adhuc suis opibus. Econtra, aduersarij occupant multa bona nostrarum Ecclesiarum, & redditus debitos nostris Ecclesijs solui phibent, Et Collegia Episcopalia, cum antea solerent aliquid decidere de suo, ad alendos Pastores & gubernatores Scholarum in ciuitatibus, iam multæ ciuitates ex suo ærario soluunt stipendia ministris Ecclesiarum & Scholarum. Ac tantum abest, vt his ciuitatibus quicq̃ accesserit, vt etiam vetera comoda amiserint. Interea quantum periculorū & sumptuum adfert eis hæc causa? Quare videri non possunt, aut auaritia, aut cupiditate libertatis amplecti hoc genus doctrinæ.

At maleuoli, odio se traducunt Principes propter

A iij

Monasteria

Monasteria. Hanc totam rem notissimam esse & In-  
uictissimo Imperatori & Illustri domino de Granuall  
optamus, quare in Monasterijs administratio mutata  
sit, quomodo bona partim ad vsus Ecclesiasticos trans-  
lata sint, ac partim adhuc a nobis teneantur. Quæ sit  
nostra de his voluntas, Deinde quibus expilationibus  
aduersarij exhauriant non solum Monasteria, sed etiam  
ceteras Ecclesias & Parochias, qua ex re in eorū ditio-  
nibus ethnica barbaries secutura est. Rogamus etiam  
Illustrem dominum de Granuall, vt pro sua excellenti  
sapiencia hæc consideret. Etiam si quas accessiones ha-  
berent Principes, quæ aut sunt exiguæ, aut certe mul-  
to minores quam dicuntur, tamen propter has nequa-  
quæ sibi tanta odia, labores, curas, sumptus, & pericula  
accenserent quanta adfert hæc causa. Nam vt nihil de  
odijs & laboribus dicamus, conferantur annui sumptus  
nostri cum his redditibus Monasteriorum, & appa-  
rebit sumptus longe maiores esse, quos iam annos am-  
plius sedecim facimus, propter hoc negocium, & hijs  
nobis cum ipsis difficultatibus crescunt. Deinde con-  
ferantur pericula. Quis Princeps in discrimen adduce-  
re vellet omnes suas fortunas & dignitatem ppter ta-  
lem accessionem.

Hæc sunt perspicua & euidentia argumenta vo-  
luntatis nostræ. Quare maxime oramus Inuictissimum  
Imperatorem, ne suspicetur nos vlla cupiditate moueri  
in defensione huius causæ. Omnibus humanis cōmo-  
dis beneuolentiam ipsius & patriæ concordiam ante-  
ponimus. Nec dubitamus etiam aduersarios nostros  
quibus notæ sunt nostræ ditiones, & tota nostra gu-  
bernatio, liberare nos in hac re suspicione auariciæ. Ita-  
quæ non aliam ob causam sustinemus tam difficile onus  
profitendæ huius doctrinæ, nisi quia Deus præcipit  
Euangelij



Euangelij confessionem, vt inquit Christus, Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram patre cœlesti. Præcipit etiam, vt fugiamus impios cultus, iuxta illud, Fugite idolatriam. Præcipit item, ne socij simus iniustæ sæuiciæ, quæ aduersus pios exercetur.

Nunc redimus ad querelam de Monasterijs, De quibus primum exponemus causam, quare mutata sit administratio. Postq̃ his regionibus illuxit Euangelij doctrina, de veris cultibus Dei, multi sponte deseruerunt hypocrisin Monasticam, multi discessuri ex Monasterijs, vt redirent ad studia, aut aliud vitę genus honestum amplecterent, ac possent œconomias institueret, petiuerunt aliquid pecuniæ. Cum igitur tempora ipsa flagitarent mutationem, vbicunq̃ reliqui erant Monachi, addidimus pios concionatores, & iussimus aboleri impios cultus, & eos q̃ manere malebant in illis sodalitijs, liberaliter ali, quanq̃ prius ociosos, ac præcipue voluimus senectuti pauperum p̃spectum. Et adhuc talia sodalitia in quibusdam Monasterijs alunt. Fuit autem vtrūq̃ officij nostri, curare vt pia doctrina p̃posita in illis locis superstitiones abolerent, & p̃spicere, ne publica bona dilaberent, quæ iam ab ipsis Monachis vel deserebantur, vel negligebantur, vel diripiebant. Constat enim Principes debere custodes esse publicorum bonorū. Nec erant iam in Monasterijs, qui familias regere possent. Quare præfecimus œconomos, q̃ familias gubernarent, & curarent agriculturam, & cætera œconomica officia. Sic mutata est administratio Monasteriorum.

Quis autem non videt causas mutationis p̃bables esse. Nec, n. p̃egrinos Monachos accersere voluimus, qui turbarent Ecclesias nostras, Nam multæ Parochiæ  
pertinent

pertinent ad Monasteria, Statim igitur initio de bonis Monasteriorum redditus constituendi fuerunt vicinis parochijs. Paulatim & ceteris Ecclesijs, quæ accessione opus habebant, multa adiecimus. Constituimus & hospitalia quædam. Attribuimus etiam aliquid Scholis. His necessarijs officijs mutilati sunt iam redditus Monasteriorum, quæ tamen alibi fuerunt magis, alibi minus locupletia, Reliquum adhuc est in potestate Principum, quod in plerisque Regionibus exiguum est. Et tamen inde adhuc erunt augenda Parochiæ, Ac nunc quoque ex his facultatibus sepe iuuantur pauperes Sacerdotes, dantur & stipendia aliqua pauperibus Scholasticis, alibi plura, alibi pauciora. Ac tempora postulabunt, vt conseruandorum studiorum causa in eatur ratio, vt ex Ecclesiasticis facultatibus plures Scholastici alii possint. Quare de his facultatibus, quæ reliquæ sunt, offerimus nos, si in aliqua pia Synodo aut conuentu concordia Ecclesiarum constitueretur, nos ea bona ad Ecclesiæ, Scholarum & ceteras publicas utilitates, in nostris territorijs non grauatim translaturus esse, vt tunc Synodus aut conuentus constituet. Nam facultates Ecclesiarum pertinent ad conseruationem ministerij Euangelij, Scholarum & alios vsus Ecclesiasticos, & publicos vt testantur dicta diuini Iuris, & vetustæ Synodi ac veteres Canones. Quod cum ita sit, vicissim petimus, vt aduersarij tunc sinant bona Ecclesiastica, quæ ipsi tenent, transferri ad veros vsus Ecclesiæ, hoc est, vt Parochijs, Scholis & pauperibus consulatur, vbi opus est accessione. Nunc enim multe sunt ciuitates, vbi aut nulli, aut prorsus exigui sunt redditus Parochiarum. Interea nec Episcopi nec Canonici obeunt officia Ecclesiastica, negliguntur studia literarum.

**Necesse**

601 Necesse est igitur iniri rationem, vt conseruari re-  
ligio Christiana & literæ possint. Harum rerum causa  
cum præcipue politias Deus constituerit, earum con-  
seruationem maxime curare summos gubernatores o-  
portet. Offerimus etiam nos tunc daturos esse cauti-  
onem, vt Ecclesiasticæ facultates in nostris ditionibus  
transferantur ad tales vsus, vt dictum est, si vicissim &  
aduersarij cautionem dederint. Videmus enim in tan-  
ta multitudine Collegiorum Ecclesiasticorum, infini-  
tum numerum Sacerdotiorum prædæ esse indoctis hel-  
luonibus, scortatoribus, qui non solum vsui esse Eccle-  
sijs & Reip. non possunt, sed etiam oneri sunt.

Iam hoc tempore quid fit in ducatus Principi-  
pum, qui aduersantur piæ doctrinæ, Ea quæ nostris  
Ecclesijs debentur in ipsorum ditionibus passim ipsi  
occupant, ac prohibent, ne nobis soluantur, Cumq;  
nos poscimus debita, nosq; obtulimus ipsorum Eccle-  
sijs soluturos esse quæ solent eis pendere ex nostris diti-  
nibus, illi mutuam vicem non reddunt. Et adiuuat hos  
iudicium Camerae, cogit vt illis soluamus, Interim no-  
stris Ecclesijs ipsi impune eripiunt quæ volunt. Vul-  
gare prouerbum est, Aequalitas non parit bellum.  
Quare si cuperent Germaniam esse tranquillam, pro-  
fecto tam insignem inæqualitatem non exercerent er-  
ga nostras Ecclesias, qua etiam defraudant parochias  
& pauperes. Sed adeo non curant hæc pia officia, vt  
nec suis Ecclesijs parcant. Inducunt intollerabilia tribu-  
ta parochijs & ceteris Ecclesijs. Et quia sæuitam exer-  
cent in pios pastores, passim deseruntur Parochiæ, Ibi  
desertarum Parochiarum redditus transferuntur ad  
præfecturas. Exhauriuntur Monasteria adeo, vt in  
multis locis dicant Monachi nihil sibi reliquum esse,  
B nisi

nisi campanarum sonitum & suos cantus. Passim non solum pagi, sed etiam oppida sunt sine pastoribus, quæ res mirum in modum animos bonorum offendit, ac parit in moribus vulgi ethnicam feritatem, ac ad posteros obliuionem religionis, & barbariem adferet.

Ac profecto optarem inuictissimum Imperatorem vere inquirere, in quibus locis benignius tractentur pastores, diligentius ornentur Ecclesiæ, maiore cura studia Ecclesiæ necessaria colantur, apud aduersarios, an apud nos. Ita res ipsa eum nobis placaret & excitaret, vt reformationem institueret & consuleret parochijs. Nam donec sæuicia exercetur in pios Doctores, deerunt pastores in vtraque parte.

Hanc totam narrationem comperiet inuictissimus Imperator verissimam esse, quæ quidem satis ostendit nos non propter auariciam huic doctrinæ fauere, quæ nobis auget sumptus & pericula, cum interim aduersarij tuto rapiant ex bonis Ecclesiasticis quantum volunt, & habeant alias amplas mercedes, quibus conducti sunt ab Episcopis ad delendam piam doctrinam. Deinde speramus nos inuictissimo Imperatori satis excusatos fore, quod etiam offerimus nos de reliquis bonis Monasteriorum, nos ea transluros esse ad usus, quos diximus, ex sententia piæ Synodi aut conuentus, in quo concordia constituetur. Hæc arbitramur satisfactura esse æquis & rectis iudicijs de prima querela.

Altera accusatio multo maiorem nobis dolorem attulit, quod inuictissimus Imperator suspicatur nos, cum offerimus nos ad veram & piam colloquutionem  
cum

cum alijs, simulare studium concordiae, vt negotium extrahamus, & re ipsa tergiuersari, & defugere veram diiudicationem. Et allegantur actiones superiorum conuentuum, in quibus, quia non abieciimus doctrinam, dicimur tergiuersati esse. Valde dolemus clementissimi Imperatoris animo, tam graues suspiciones aduersus nos inferi. Est enim odiosa & turpis simulatio, maxime in causis religionis. Igitur magnopere rogamus, vt inuictissimus Imperator nostram purgationem veram & ingenuam audiat.

Cum aduersarij sparsissent in ipso conuentu Augustano infinitas calūnias aduersus Ecclesias nostras, nosq; iussi essemus dicere de doctrina & ritibus Ecclesiarum nostrarum, nihil occultauimus, sed ingenue & simpliciter totum doctrinae genus complexi sumus, vt intelligi posset, nos Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiae Christi consensum vere sequi, ac retinere Symbola, & congruere doctrinam & vsum Sacramentorum, cum vetere ac puriore Ecclesia.

Habuimus multas & graues causas nostri consilij, & speramus bonos viros plurimos, tunc quoq; placatiōres esse factos, cum viderent nos veterem Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiae consensum tueri, ceterum abusus & errores, qui prioribus seculis in Ecclesiam irrepsērunt, taxare. Neq; enim negari potest, multa non toleranda vitia irrepsisse. De poenitentia & remissione peccatorum fuit summa confusio doctrinae, Sacramentum in Missa, ad quos abusus translatum fuit, cum certum sit, priuatas Missas ignotas fuisse veteri Ecclesiae. In coelibatu quantum est turpitudinis. Doctrina de potestate clauium plena fuit vanitatis & am-

B ij bitionis,

bitionis, & translata ad augendam Romani Pontificis dominationem. Quantum fuit onus traditionum superstitionum. Quam nullus delectus Ministrorum Euangelij.

De his materijs professi sumus, qui errores taxati sint apud nos. Et extant scripta nostrorum, Ac multi p̄i vbiq; terrarum fatentur se ex illis pie & vtiliter admonitos esse, vt rectius de doctrina Christi, & de veris cultibus Dei sentiant, Non igitur fugimus lucem. Cumq; Augustæ compositio tentaretur, nihil prorsus astute fecimus, ostendimus nos expetere concordiam. Si necessaria reciperentur, diximus nos de vsu indifferentium non litigaturos esse. Proposuimus moderatam viam. Sed qua æquitate nobiscum actum sit, optaremus penitus scire clementissimum Imperatorem. Delecti ad eam disputationem ab aduersarijs expresse p̄fati sunt, se nihil mutaturos esse de sua sententia, tantum nobiscum disputaturos, vt nos retraherent ad suas opiniones. Incipiunt defendere inuocationem Sanctorum, Missarum abusus & satisfactiones. Hæc non erat dijudicatio vera, quæ sitis fontibus & fundamentis, sed erat veterum errorum confirmatio. Nunc quia non sumus assensi, nec abieciimus veritatem, aduersarij calumniantur nos apud inuictissimum Imperatorem, & fingunt nos simulasse studium concordia, vt negotium extraheremus. Nec aliud vocant conciliationem, nisi defectionem a veritate. Nec postea vlla fuit de doctrina disputatio in vlllo conuentu, etsi nunq; defugimus tales congressus, in quibus pie & vere de doctrina deliberaretur.

Quare persuasum inuictissimo Imperatori cupimus,

mus, nos nec effugia, nec ambages querere. Si nos  
puderet causæ, possemus eam plausibiliter abijcere,  
Sed quia scimus esse piam & Ecclesiæ necessariam, sus-  
tinemus ingens onus Confessionis, propter manda-  
tum Dei, vt supra diximus.

Nec agimus astute, cupimus propagare & con-  
seruare piam doctrinam propter gloriam Dei. Et ni-  
hil optabilius est bonis, quam pia concordia Ecclesia-  
rum. Ideo sicut in conuentu Francofordiano & alias  
nos obtulimus, ita adhuc offerimus nos ad piam & ve-  
ram colloquutionem cum alijs Principibus & Statibus  
Imperij, in qua patefactis fontibus & fundamentis do-  
ctrinæ Christianæ, pia conciliatio instituat.

Et ne quid suspicionis pariat ambiguitas, voca-  
mus piam conciliationem, in qua patefacta veritate  
consulatur Ecclesiæ, emendentur veteres errores, &  
restituuntur veri cultus Dei. Cum enim toties iam di-  
ctum sit, velle inuictissimum Imperatorem, vt vere  
componantur controuersia, patefactis fontibus &  
fundamentis, conciliationem non intelligimus con-  
firmationem veterum errorum aut defectionem a ve-  
ritate.

Non existimamus vnq̃ inuictissimo Imperatori  
vere narratam esse seriem disputationis Augustanae, in  
qua expressa præfatione, aduersarij nostri testati sunt,  
se nihil mutaturos esse de sua sententiâ, sed hoc tantum  
acturos, vt nos ad sua deliria inflecterent, quæ aperte  
pugnant cum Euangelio. Si hoc modo res iterum a-  
geretur, id non esset reuocare causam ad fontes & fun-  
damenta, seu veritatem quærere, Sed Pythagoricum,  
illud nobis proponere, Ipse dixit, quod de autoritate

B iij humana

humana in Ecclesia nequaquam recipiendum est. Nam voluntas Dei non potest cognosci ex humanis opinionibus. Sed ut Ioannes inquit, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Hunc Doctorem iubeat arbitrum esse controuersiarum, inuictiss. Imperator iubeat quaeri veritatem, ut illustretur gloria Christi, & consulatur saluti hominum. Ea res erit digna pio Imperatore.

Et quia vitandae sunt ambages, & inuictiss. Imperator petit, ut prorsus & penitus, euoluta nostra voluntate proferamus, quos articulos abijci non posse statuamus. Extat Confessio nostra cum Apologia, in qua satis apparet, quos articulos tanquam necessarios defendamus. Nec dubitamus, quin hoc ipsum genus doctrinae, quod in Ecclesijs nostris traditur, sit ipse consensus Apostolicae & Catholicae Ecclesiae Christi, quia & in Prophetis & Apostolicis scriptis haec ipsa doctrina proponitur, & congruunt veteris Ecclesiae testimonia de rebus necessarijs, videlicet de dogmatibus, De legitimo vsu Sacramentorum, De potestate clauium, De officio ministrorum Ecclesiae, quod prorsus dissimile est dominationi Romani Pontificis, & de libero vsu traditionum humanarum. Quare si abijceremus Confessionem nostram, dissentiremus ab Apostolica & Catholica Ecclesia, nosque ipsi seiungeremus ab illa vera Ecclesia omnium temporum, in qua primi Patres, Prophetae, Apostoli, & reliqui Sancti, eadem fide quam praedicamus, inuocauerunt Deum, & filium Dei saluatorem, sicut inquit Petrus, Huic omnes Prophetae testimonium perhibent. Ab hac Ecclesia dissentire non licet, a qua diuelleremur, si abiecta nostra Confessione, veteres errores, & horribilem abusum Sacramentorum restitueremus.

Sunt



Sunt autem præter articulos necessarios, alij quidam indifferentes ritus humani, qui, vt in templis sit ordo aliquis, instituti sunt. De his ritibus, de iurisdictione Ecclesiastica, de institutione & ordinatione ministrorum, de certis inspectoribus Ecclesiarum & de bonis Ecclesiasticis, De iudicijs controuersiarum matrimonialium conuenire posset, constituto consensu principalis doctrinæ.

Quorsum enim pdesset aliquid pacisci de ritibus aut de iurisdictione cum ijs, qui adhuc re vera in articulis principalibus doctrinæ dissiderent. Tolli dissidium non potest, si alij pergant errores defendere, & interficere pios.

Quod autem alij obijciunt, errores admixtos esse doctrinæ Ecclesiæ nostrarum, Etsi non dubitamus doctrinam Ecclesiæ nostræ, quam confessi sumus, vere esse consensum Apostolicæ & catholicæ Ecclesiæ Christi, tamen si quid reprehendunt aduersarij, profertur tunc in conuentu, vbi de singulis Articulis copiose respondebimus, & speramus nos omnibus pijs & amantibus veritatem, satisfacturos esse. Si quid etiam obscurius & breuius esset dictum in Confessione & Apologia, quam opus est, declarabimus. Si alio qui sparsæ essent opiniones ab aliquibus scriptoribus nostris, vt sunt humana, quas corrigi opus esset, illi admoniti, non repugnabunt veris iudicijs. Scimus etiam humanorū rituum dissimilitudine in nostris Ecclesijs indoctos offendi, etsi similitudo in his non est necessaria, vbi de doctrina recte conuenit, tamen propter communem concordiam ea de re etiam in conuentu agi posset. Nam Dei beneficio omnes nostræ Ecclesiæ, vnum hoc doctrinæ genus, quod extat in Confessione

fessione & Apologia profitentur. Hæc etiam causa est cur nos quidem arbitremur in publico conuentu potius de communi concordia agendum esse, quia de vsu indifferentium nihil agi potest, nisi prius de doctrina necessaria conueniat, quam ad rem opus est quadam colloquutione, vt declarari res tantæ possint.

Deinde hoc consensu constituto communi consilio de Iurisdictione Ecclesiastica, & de gubernatione Ecclesiarum multa deliberanda erunt, quæ seorsum, quomodo agi possint, non intelligimus.

Postquæ voluntatem nostram declarauimus, iterum rogamus illustrem dominum de Granuall, vt sit hortator inuictiss. Imperatori, & ad pacem faciendam, & ad Ecclesiæ reformationem suscipiendam, vt firma & durabilis concordia fieri possit, Nam si vitia manifesta stabiliuntur, semper erunt qui reclamant. Et iniustum est reprehensionem vitiorum & errorum velle armis prohibere. Talia imperia non decent in Ecclesia.

Imperator Constantinus bis dederat iudices Donatistis, quanquæ aperte delirantibus, Tertio ipse eos audiuit, ne prius edicta duriora proponeret, quæ res satis disputata & cognita esset, ne autor esset exempli in Ecclesia asperioris.

Speramus autem inuictissimum Imperatorem ea iusticia & bonitate præditum esse, vt cum tam multæ controuersiæ de rebus maximis exortæ sint, non sit ante veram & iustam cognitionem aliquid violenter acturus.

Oramus igitur, vt quemadmodum in Francofordiano conuentu per oratorem promisit colloquutionem

onem publicam, clementer eam colloquutionem insti-  
tuat, & sicut toties iam dictum est, curet patefieri veri-  
tatem ex fundamentis quæ inspicere præcipue in Eccle-  
sia debent, videlicet, ex verbo Dei, quod in Propheti-  
cis & Apostolicis scriptis traditum est, cum quo etiam  
vetus & purior Ecclesia congruit.

Quicquid autem accidet, tota posteritas iudica-  
bit nos æqua & pia petiuisse, ac profutura non tantum  
nobis, sed vniuersæ Ecclesiæ, cui consulere inuictissi-  
mus Imperator debet, præsertim cum Pontifices, ar-  
dentes ambitione & crudelitate, tantum sint hortato-  
res ad trucidandos innocentes & pios Sacerdotes, &  
vastandas Ecclesias. Ac profecto magna laus est in-  
uictissimi Imperatoris, quod hactenus non gessit mo-  
rem atrocibus consilijs, quia Deus vult in primis exer-  
ceri pietatem & lenitatem erga miseros Euangelij mi-  
nistros.

Postremo & hoc valde oramus, ne inuictissimus  
Imperator fidem habeat atroci calumniæ, qua aliqui ex  
nobis dicuntur adiuuisse hostes, cum quibus Impera-  
tor inuictissimus bellum palam indictum gessit. Con-  
stat enim nos eo tempore certis officijs quosdam Ca-  
pitaneos inuictissimi Imperatoris adiuuisse, misisse  
Bombardarios, & pulueris tormentarij mediocrem  
copiam, libenter etiam nostris subditis concessisse, vt in  
militiam ad inuictissimum Imperatorem proficisce-  
rentur. Constat & illud, nos tunc quædam non vul-  
garia commoda oblata repudiasse, non aliam ob cau-  
sam, nisi vt fidem & obseruantiam nostram erga inui-  
ctissimum Imperatorem, maiore studio declararemus.

Quare nos purgatos esse inuictissimo Imperatori  
C cupimus,

cupimus, & si quis ex nobis nominatim delatus est,  
eius responsionem speramus satisfacturam esse Inui-  
ctissimo Imperatori.

Hanc nostram responsionem in singulis articulis  
veram, simplicem & ingenuam, rogamus, vt illustris  
dominus de Granuall non grauatim legat, & Inui-  
ctissimo Imperatori reuerenter commemoret, nosq;  
ei commendet, ac oret, vt veram conciliationem, vt  
supra dictum est, Ecclesiarum instituat, quæ quidem  
adeo necessaria est, vt si fauicia non cessauerit, metu-  
enda sit ad posteros horribilis vastitas Ecclesiarum.  
Nam Pontifices malunt extingui totam religionem,  
& aliquam reformationem admittere.

Maxime autem oramus, vt Illustris Dominus de  
Granuall, exponat etiam Inuictissimo Imperatori, Do-  
mino nostro clementissimo, querelam nostram iustis-  
simam, de iudicio Camerae, in quo nobis coniuncti ini-  
quissime vexantur, contra ius & contra prohibitio-  
nem Imperatoriam.

Et quidem in causis leuibus, non solum iniustæ,  
sed etiam atroces sententiæ feruntur, vt in causa Min-  
densi apparet, in qua lis est de florenis sexaginta aut  
circiter, quos ciuitas egena attribuit Parochiæ, vt &  
antea pertinebant ad Ecclesiam. Sed aduersarij ma-  
lunt eos ab ociosis consumi, cum interim magnas opes  
Ecclesiasticas habeat ibi collegium Sacerdotum ocio-  
forum, qui prorsus non seruiunt Ecclesiæ, Et tam exi-  
guam partem noluerunt decidi ad vsus Parochiæ.  
Propter tam leuem causam in iudicio Camerae lata est  
sententia p̄scriptionis, contra ciuitatem Mindensem.  
Hanc petulantiam iudicij Camerae coherceri, & pro-  
hibere:

hiberi omnes tales processus magnopere oramus,  
iuxta petitionem nostram & formulam, de qua in con-  
uentu Francofordensi cum duobus Electoribus Pa-  
latino & Marchione actum est. Si inuictissimus Im-  
perator Germaniam vult esse tranquillam, vt ostendit,  
profecto processus illi iudicij Camerae prohibendi sunt.  
Nam tales sententiae quid sunt, nisi classica ingentium  
tumultuum, aduersus que iura naturae concessa est de-  
fensio, Ac si non aboleantur hi processus, & forte ac-  
cideret, vt alij contraherent militum copias, non pos-  
semus non suspicari contra nos eas colligi, Qua ex re  
possent subiti tumultus oriri, quod minime vellemus,  
Nos enim maxime cupimus tranquillam esse Germa-  
niam, & magnopere oramus illustrem dominum de  
Granuall, vt inuictissimo Imperatori domino nostro  
clementissimo sit hortator, vt nobis pacem concedat,  
& processus contra nos in causa religionis prohibeat.

Rogamus etiam generosos Comites, vt nos a-  
manter Illustri domino de Granuall com-  
mendent. Nos vicissim & ipsi & gene-  
rosis Comitibus, nostra officia  
deferimus.

libert omnes etc. pro...  
1003  
(x 220 5376)


Mc











B.I.G.

Farbkarte #13



SIO  
GRATIA  
LICVS DVX  
LIPPVS, LAND-  
reliquis nobiscum  
, dedimus, ad  
est Smal  
ne  
ci Comitis de  
uielmi Co  
æ.

Vindne  
d d

